me ac magnum uidetur · intra suam iacere conscientiam gloriatur ·
Nihil adpetere iam · nihil desiderare de saeculo potest · qui saeculo maior
est · quam stabilis · quam inconcussa tutela est · quam perennibus bo
nis caeleste praesidium · inplicantis mundi laqueis solui · in lucem in
mortalitatis aeternae de terrena faece purgari · uiderit quae in
nos prius infestantis inimici pernicies insidiosa grassata sit · plus
amare conpellimur · quod futuri sumus · dum et scire conceditur et dam
nare quod eramus · Nec ad hoc praetiis aut ambitu aut manu opus
est · ut hominis summa uel dignitas · uel potestas · elaborata mole pa
riatur · et gratuitum de deo munus et facile est · ut sponte sol radiat · dies
luminat · fons rigat · imber inrorat · ita se spiritus caelestis infundit ·
postquam auctorem suum caelum intuens anima cognouerit · sole alti
or · et hac omni terrena potestate sublimior · id esse incipit quod esse
se credit · tu tantum quem iam spiritalibus castris caelestis militia sig
nauit · tene incorruptam tene sobriam religiosis uirtutibus discipli
nam · sit tibi uel oratio adsidua uel lectio · Nunc cum deo loquere · nunc deus
tecum · ille te praeceptis suis instruat · ille disponat · quem ille diuitem fece
rit · nemo pauperem faciet · penuria esse nulla iam poterit · cum semel
pectus caelestis sagina saturabit · Iam tibi auro distincta laquaria
et praetiosi marmoris crustis [?] uestita domicilia sordebunt · cum scie
ris te excolendum magis · potius et ornandum · domum tibi hanc esse po
tiorem · quam dominus insedit templi uice · in qua spiritus sanctus coepit habita
re · Pingamus hanc domum pigmentis innocentiae · luminemus
luce iustitiae · non haec umquam procumbet in lapsu senio uetus
tatis · nec pigmento parietis aut auro excoletur [?] · foedabitur · caduca
sunt quaecumque fucata sunt · nec fiduciam praebent possidentibus
stabilem quae possessionis non habent ueritatem · hoc manet cultu iugiter
uiuido · honore integro · splendore diuturno · aboleri non potest nec
extingui potest · tantum in melius corpore redeunte formari ·
haec interim breuibus donate carissime · Nam et si facile de bonitate pa
tientiam · mentem in deum solidam fidem tutam salutaris auditus

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
Bodleian Libraries UNIVERSITY OF OXFORD
HESSEN Staatliche Schlösser und Gärten Hessen
Organisation der Vereinten Nationen für Bildung, Wissenschaft, Kultur und Kommunikation
Kloster Lorsch Welterbestätte seit 1991
© Bodleian Libraries
http://bibliotheca-laureshamensis-digital.de/view/bodleian_mslaudmisc105/0346